



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118596**

§. 11. Communis Prælatorum applausus ad Cardinalis orationem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

existat, quam insit in verbi prædicatione, ac res eadem sit, Christum in Baptismo induere, & ipsius Carnem, ac Sanguinem in Cœna sumere, nec non ita in cœlis versetur, ut in terra non existat, sicque non plus in Cœna, quam in scena, aut etiam in cœno sit, nulla concordie ratio iniri poterit.

Sæcul. XVI.  
A C. 1561.

Postea Cardinalis Catholicam sententiam exponens ait: „Nos profite-  
mur, quod Corpus Christi Domini sit  
secundum naturalem suam extensio-  
nem in cœlis, alio autem modo in  
Sanctissimo Sacramento existat, nam  
Philosophia nos docet, nullam dari  
contradictionem, quod unum Corpus  
simul sit in pluribus locis, repugnet  
tamen, quod in uno loco versetur,  
& ibidem non sit: inde vero conclu-  
debat Cardinalis, quod tunc, si Pro-  
testantibus nil aliud, quod respondeant,  
superfit, illis palam declaret, quod  
ab eorum sententia tam longe distet,  
quam altissimum cœlum a terra disti-  
tum sit.

§. XI.

*Communis Prælatorum applausus ad  
Cardinalis orationem.*

Ad hanc Cardinalis orationem ceteri  
omnes Prælati vehementer applau-  
dentes uno ore profitebantur, quod in

Thuan. &  
Mez. l. c.



Sæcul. XVI.  
A.C. 1561.

ea fide, quam Cardinalis exposuisset, vivere, & mori parati essent: & postea Regem, atque Reginam enixe rogabant, ut ipsi quoque in ea constanter perseverare, illamque tueri vellent: his tamen verbis adjiciebant Præsules, quod non impedirent, ut illi, qui ab ea deflexerunt, si doctrinæ modo a Lotharingio expositæ subscribere velint, ad cetera, quæ disceptanda restant, explicanda admittantur: si vero id recusent, ab omni prorsus colloquio excludendos, atque adeo e tota ditone expellendos petebant.

§. XII.

*Libellus supplex a Protestantibus Regi porrectus.*

*Thuan. l. c.*

Cum Theodorus Beza a Regina peteret, ut Cardinali Lotharingio ex tempore respondendi facultas sibi daretur, Rex in alium diem Sessionem distulit: re autem longius protracta, Protestantium Ministri libellum supplicem Regi porrigunt, in quo sic loquebantur: „Regis jussu huc venimus, ut amice „sedandis diffidiis in Religionis causa „exortis cum Præsulibus conveniretur; „sed pacis, ac generis humani hostis, „& ejus emissariorum astu fit, ut affecta- „tis protelationibus tam laudabilis co- „natus non solum retardetur, verum exitu